



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 195. Jacobi I. Angliæ Regis statutum de oblectamentis in Dominicis diebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CXC.

*Jacobi I. Angliæ Regis statutum de
oblectamentis in Dominicis
diebus.*

*Wilson pag.
105. Annal.
de Jacob. I.
Calmet l. c.*

Postquam Rex Puritanos Ministros ad acceptandos hosce articulos compulerat, e Scotia in Angliam revertebatur, cumque suo itineri intentus esset, nova Ecclesiasticæ suæ potestatis exercendæ occasio sese eidem offerebat, quippe famuli, operarii, opificum Ministri alique inferioris plebis homines eidem libellum supplicem porrigentes, de suis Ministris querebantur, quod peracto Divino Officio ludere, choreas agere, tabernas frequentare, aliisque oblectamentis in die Dominica frui prohiberentur, Ministris Puritanis docentibus, quod ejusmodi lusus sanctificationi hujus diei adversarentur, & Christiani diem Dominicam eodem rigore, quo Judæi Sabbatum colere teneantur, ac propterea eadem dies potius *dies Requiei*, quam Dominica vocanda foret. Horum querela Regem ad damnandam hanc Puritanæ conscientie anxietatem eo potentius incitabat, quo minus dies festos ludicris relaxationibus transigere, sibi religioni duxerat: hinc nulla mora librum suo nomine edidit, in quo
ejus-

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

ejusmodi oblectamenta nullatenus esse
 inhibenda declarans, ne quis suæ opi-
 nioni oblectaretur, indictis etiam pœ-
 nis inhibuit. Appellabatur passim hæc
 lucubratio *liber de oblectamentis*, adver-
 sus quem non modo Puritani, sed etiam
 nonnulli Angliæ Episcopi calamos suos
 acuebant, atque inter eos præcipue
 Londinensis Præfectus, qui Regis sar-
 cinas, quæ in urbem die dominica in-
 vehebantur, retineri jussit. Verum
 Rex suorum indignationes nil moratus,
 librum suum in omnibus Ecclesiis pub-
 lica prælegi, & Ministros suo mandato
 obfistentes severis pœnis castigari præ-
 cepit; nihilominus tamen Abbotus Ar-
 chiefiscopus hunc librum eadem die,
 qua ejus lectio erat præcepta, in Ec-
 clesia prælegi, intrepide vetabat: Ca-
 tholicis tamen hac Regis indulgentia
 frui haud licebat, quamvis ceteroquin
 in Regno indies numero augerentur,
 partim ex favore Regii clientis Georgii
 Villesii postea Bucchingami Comitis,
 cujus Mater Catholicam profitebatur
 Religionem, partim ex dissimulatione
 Regis, cujus de Religione exigua erat
 sollicitudo, dummodo omnes de supre-
 mo ejus jure in Sacra juramentum ei-
 dem exsolverent, & nullus se Purita-
 num diceret.

§. CXCVI.